



# NOVA POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI M DCC XXI.

*DIE XII. NOVEMBRIS.*



*Anormia d. 13. Octob.*  
Luccinius, qui Messana ante dies aliquot accessit, breui præfecturam urbis huius, quam Illustriſſ. Baro Zumiungius administrabat, suscipiet; hic enim nauigio quodam Anglicus, cui ab unione nomen est, in Germaniam profecturus dicirur. Natalem Imperatoris Augustissimi maxima pompa nuper celebrauimus, nec ullus erat urbis angulus, qui non nocte proxime secuta festis colluxisset ignibus.

*Romæ d. 18 Octob.* Eminentissimus Cardinalis Schönbornius, postquam summo Pontifici ultimum dixisset vale,

Principi Pamfilio arculan quandam argenteam, pretii maximi, dono dedit; familiæ vero Ruspiglionensi suppelleſtilem cœnatorium, in Hollandia præparatam; huius enim Rheda, illius vero habitatione, quamdiu hic fuit, vtebatnr. Postea iter ingressus est, in Germaniam abiturus, libertatesque ordinis Teutonici a Pontifice Maximo confirmatas eo delaturus.

*Genuæ , a. d. 18. Octob.* Litteris, quas ex Hispania accepimus, nuntiatur classem ex Peruano regno, Gades appulsa, Principem S. Buon aduexisse. Copias Hispanicas, quas sacramento soluere iussit Philippus, Hollandi suscepturi dicuntur, vt tanto maiori vi Algerianos impetere queant. Legatus Regis Hispan-

*Hispaniæ, Marchio S. Philippi, exemplum edicti regii Proceribus nostris misit, quo nullas admitti iubet uae in portibus Hispanicis, præterquam nostras.*

*Lutetia Parisiorum, a. d. 19. Octob.*  
*Cartuchium, vaferrimum latronem, & furem, diu multumque per omnem Galliam frustra quæsitum, e suburbio Curiolæ, \* quo is se abdiderat, cum quatuor aliis nequissimis nebulonibus, quos illo tempore seeum habuerat, vinctum abduxerunt ad Albinum, \*\* rerum bellicarum procuratorem, qui eum probe examinatum, quinquaginta tradidit militibus, & in arce, quam Castelletum \*\*\* dicunt, diligentè custodia adservari iussit. Paullo ante in Angliam, & Galliam abierat, vnde redux factus, quendam ex iis, quos scelerum habebat socios, proditionis insulatum, sua manu interfecit, & plus quam barbara immanitate sœuiens cor e pectore euulsum reliquis ad spectaculum proposuit. Interea, turpisima latronum colluvies iam ex suis eruit latebris, quorum alii capti sunt, alii fuga dilapsi, promeritis pœnis se subduxerunt.*

\* *Courtille.* \*\* *le Blanc,* \*\*\* *Chatelet.*

*Alia ex eadem urbe, a. d. 1. Novemb.*

Quotidie captiui in hanc urbem adducuntur, quos Cartouchius in latrocinii societatem adscuerat. Ille autem aliquoties a iudicibus, de nefandis, quæ commisit, facinoribus interrogatus, omnia præfracte negauit, & nullius se sceleris reum esse. professus est. A miliite autem, quem socium sibi fidelem crediderat, proditus memoratur, qui, præterquam, quod flagitorum impunitatem consequutus est, duo etiam millia librarum Gallicarum accepit, quæ se daturum rex promiserat ei, qui

nefarium hominem in manus iudicum tradiderebat. Tam vehementer autem omnes de captiuitate Cartouchii lætanuntur, vt, insignem ab hostibus reportatam esse victoriam, existimari queat. Hodie Itali populo edent comœdiā, Arlequini Cartouchii nomine insignitam. Cras Galii similem, cui infelicitis Cartouchii nomen indiderunt, in theatro exhibebunt. Etiam si autem se nihil turpe admisisse, dicit homuncio, equuleo tamen impositus, verum profitebitur, & cum aliis latronibus in ferali pegmate, quod ante curiam urbis exstruitur, tam graue luere debebit supplicium, quanto capitis reum in hac urbe adfatum fuisse, haud recordamur. Namque eam ob caussam fenestræ, quæ forū prospectant, nunc magno conductuntur pretio, & tabulata, stipibus suffulta, construuntur, e quibus populus horrendum latronis supplicium oculis spectare possit.

*Alia, n. d. 17. Octob.* Literæ, quas Rex & Regina Hispaniæ ad Ducem feminam Vantaduriam perscripserunt, hic circumferuntur, quæ non ingratæ lectori futuræ sunt, si eas hoc loco exhibeamus.

*Literæ Regis Hispaniæ ad Ducem feminam Vantaduriam.*

Ad lætitiam ex matrimonio inter Regem patrualem meum, & Infantem meam filiam inito, ortam, amplius addi nihil potuit, quam vr audirem te illi adfuturam. Magna certe in hoc ei continget felicitas, quod educationem suam ei acceptam referet, aqua iis instruetur rebus, quæ feminis, in ea dignitate, cui illa destinatur, viuentibus, dignæ sunt. Eam ob caussam iudicabis facile, quantus accesserit ad lætitiam meam cumulus. Nec est, cur te multis verbis compellem, omnem in æducanda

da filia mea, curam vt adhibeas. Et sane benevolus tuus in me animus sperare me iubet, fore, vt nihil horum intermitas, quæ filiam meam, regi, in quo omnis eius felicitas posita est, gratam reddant. Ceterum persuasissima sis, velim, me eo erga te esse animo, quem & dignitas & officia tua poscunt, numenque Diuinum precari, vt te saluam & incolument seruet. Vale

5. Oct. 1721.

Ex secessu Balsamensi

Philippus.

*Litteræ Reginæ Hispaniæ ad Ducem feminam Vantaduriam.*

Dici vix potest, quanto fuerim gaudio perfusa, cum ex tuis ad me missis litteris a. d. 21. mensis superioris, cognouisse, Regem Galliæ & Ducem Aurelianensem tibi munus magistræ morum, Filiæ meæ *Infantis* demandasse. Cum hoc semper in votis cum primis habuerim, coniicias velim, quantum me hæc destinatio adfecerit. Gratissimum mihi fuit auditu Galliæ Regem saepius tecum de filia mea sermonem habere, nec tacere possum filiam meam, quantum per eius ætatem licet, sincero amoris affectu eundem prosequi, idque passim profiteri, nullum, quidem toto orbe venustiorum hominem eo esse. His de cauissis rogatam te habeo, vt quam saepissime de rebus vestris, ad me litteras des, nec de beneuolo meo in te animo ullo modo dubites. Deus te seruet saluam & incolument. Ex secessu Balsamensi

d. 5. Oct.

Elisabetha.

*Londino, a. d. 18. Octob.* Ante aliquot dies, architectus quidam milita-

ris nomine Chaumetus, & natione Gallus, ex hac vrbe ad regē, qui in arce agit *Kensingtonia*, profectus est, eique sclopetum, mira arte a se confectum, oblit, ex quo sex glandes, momento temporis eiici poterunt. Nox quæ a. d. 4. Octob. præcesserat, comiti Roffensi, & omni eius familiæ maximè fatalis extitit. Is enim cum vxore, liberisque, & aliis, quos habebat domesticos in villam Pietershamum, haud longe ab oppidulo, cui Richmundiæ nomen est, sitam abierat, & in primis filiam, cuius puerperium adpropinquabat, secum eō abduxerat, vt ab vrbis strepitu paullo remotior corpus curaret. Illa igitur grauida, & partui vicina in mandatis dederat obstetrici, aliisque mulieribus, vt fascias, quibus inuolui fouerique debebat nasciturus infantulus, & cetera linteal, puerperæ vñibus destinata, ad ignem ponerent, & deinceps referent in cubiculum. Sed dum miseræ operi intentæ, ignibus adsident, somnus illis ex improviso obrepere cœpit, & flamma non modo fascias cum linteis, sed proxima quæque corripuit, & cum omnis familia profundissimo sepulta somno iaceret, ad superiora ædiū penetrauit, atq; latissime fudit incendium. Forte rusticus ex agro rediens villam præteriit, qui ignem conspicatus omni impetu fores pulsauit, quo tumultu comes cum uxore exasperatus, omnia clamoribus impleuit, & inducio tantū amictus se flammis subduxit. Filia partus doloribus correpta vix stragulis inuolui, & in hortum deportari poterat, ubi tantus eam incessit tremor, cum formidine coniunctus, vt parum omnino absuerit a mortis periculo. Mulier quædam, Charlotta Hyde dicta, quæ filiam comitis natu minimam educabat, de puellæ salute sollicita,

ali-

aliquot linteal summa festinatione conseruat, illisque in cellam demiserat parvam comitis filiam, ex qua illa post sexdemum horas, semianimis, tanquam etumulo protacta fuit. Femina autem, quae eodem, quam contexuerat, fune descendere volebat ad puerilam, quam fidei suae commissam vehementer amabat, rupto illo, in cellam præcps ruit, & animam efflauit. Obstetrix, quae saltu e fenestris suæ saluti voluerat consulere, in clathros ferreos, & acuminatos incidit, fractisque cruribus, paullo post extremum vitæ spiritum edidit. Hortulanus muri ruina oppressus, & multi alii vulneribus affetti fuerunt. Omnis autem domus, cum exquisitissima bibliotheca, quam Clarendonius, Roffensis auus, magnis olim sumtibus sibi parauerat, & aureis, argenteisque vasis, ac omni pretiosa suppellectile, flammis consumta & cineribus obruta sunt, quod damnum nulla ratione reparabile arbitrantur, qui librorum copiam, & ceterarum rerum, quæ igne perierunt, præstantiam cognitam habuerunt.

*Dresda. a. d. 8. Novemb.* Hoc ipso temporis, quo hæc scribimus, articulo, optatus nobis Pilnicio venit nuncius, qui principis regii conjugem, hora, post medium noctem, secunda, puerperam factam, & felicissimo partu filium, inspem Saxoniæ genitum, edidisse, commemorat. Omnis propterea aula immenso completa fuit gaudio, quod tormenta ex vallis vrbis excussa, ad ceteros quasi diffuderunt Saxoniæ populos, & ingenti, quem ediderunt, fragore latius propagaverunt.

*Viennæ, a. d. 8. Nov.* Diem Carolo Boromæo sacram, vniuersa gens Augusta, solemini ritu transegit. Proceres aulae, quin & principum externorum legati, faustissima quæque Cæsari sunt precati;

cumque Imperator palam, inter exquisitissimos symphoniacorum concentus pransus fuisset, vesperi ad ludos scenicos, qui cantu constant toti, itum est. Hodie vestes lugubres sumvit Cæsar, vt mœrorem testaretur, quem ex morre Ducis *Toscanae* cepit. *Baro Palheim*, quod multis retro seculis, maiores sui. de Imperio Romano, quin & Sereniss. Domo Austriaca, optime sunt meriti, axiomate Comitis Imperii, vna cum fratre suo, donatus est. Alioquin ad d. 18. Nov. Conuentus statuum Austriae instituetur, vt ex more, ob tribus, quæ sibi imperabuntur, transigant. Orator Moscouiticus *Lanciansky*, summo studio comparat omnia, vt, de pacem cum Suecis initam, lætitiae signa, tridui spatio queat edere.

*Pozonii, a. d. 12. Nov.* Frequentes iam adesse videas, qui non modo *Concursus Palatinati*, sed reliquis etiam *Commissionibus* apud nos instituendis, interfint. In his nupero die Sabbathi *Excell. C. Stephanus Kobary*, *Iudex Curia Regia*, ad urbem nostram accessit, quem plures quotidie ex eorum numero sequuntur, quibus querelæ religionis causa agitatæ, ad discutiendum sunt commissæ; vt spes sit, proxime eos, consultationes, quæ exeunte Julio Pesthini cessarunt, continuatuos esse. Litteris ex superiori Hungaria missis docemur, vindemiam illic pauperem fuisse, mustumque dedisse, præter morem, austrum minusque excoctum: quare sperare vinitores, fore vt vini pretium accrescat, tametsi non facile sit ad colligendum, vnde mercatores sint exspectandi. *Commissione*, quæ ad recognoscendas fodinas ab indulgentissimo rege missa est, *Schemnitzi* iam agit, totaque in eo est, vt difficultates, quæ se illic offerunt, expediat, resque montanas loco meliore constituat.